



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Antonii Bynaei de Calceis Hebraeorum Libri Duo**

**Bynaeus, Anthony**

**Dordraci, 1682**

... vestis fluxa & talaris, qualis stola matronarum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12835**

toga fuit Romanis, aut pallium Græcis, aut qualibus nos hodie utimur, sed *σαράβαρα*, uti hanc vocem reddidit Theodotion, hoc est, vestis fluxa & talaris, quales stolæ matronarum, quomodo & Aquila habuit *σαράβαλα*, uti Hieronymus est auctor, qui ita legi etiam postulat. Quod tamen non est necesse. *Σαράβαρα* enim æque ut *σαράβαλα* rectum est, cum has literas R. & L. facillime permutari sit notissimum, uti jam dudum plurimis exemplis eruditi homines ostenderunt. Equidem scio aliter *σαράβαρα* à Suida atque Hesychio explicari. Suidas enim *σαράβαρα* ἰσθὴν περσικὴν vestem Persicam facit, quam ἔνιοι λέγουσι βράκια quam nonnulli braccas vocant, & Hesychius Sarabara vult esse *πρὸς τὰς κνημίδας* (vel ut alii cum Stephano legunt *κνήμας*) ἐνδύματα, hoc est *crurum indumenta*, quomodo & alibi habet: *Σκέλια τὰ τῶν σκελῶν σκεπτάματα, πιεθοὶ σαράβαρα*. Etiam non latet mihi exponere Scholia Græca: *πῆες σαράβαρα εἰρήκασι τὰ μὲν παρὰ τῶν ποικῶν λεγόμενα Μάκια, παρὰ ἃ τοῖς Ἑλλησιν ἀναξυρίδες πρὸς σαργρενόμενα,*

Drus. in  
Fragm.  
Vet. ad  
Dan.

ἰδρα, & pro Μάκρια forsan legendum  
Βερέκρια jam dudum monuisse virum  
præstantissimum Johannem Dru-  
sium. Sed hos omnes errare tam cer-  
tum est mihi, quam ipsum Hiero-  
nymum, omnium patrum doctissi-  
mum, qui notavit: *Lingua Chal-  
dæorum saraballa crura hominum vo-  
cari & tibias, & ὀμυρόμας etiam  
braccas, quibus crura teguntur &  
tibiæ, quasi crurales & tibiales ap-  
pellatas.* Quod sane unde hau-  
ferit omnino nescio. Etenim sa-  
raballa lingua Chaldæorum crura  
hominum vocari non credo Hie-  
ronymum ullo testimonio posse  
confirmare. Sed omnes decepit  
vox peregrina quam non intellexe-  
runt, unde & aliis imposuerunt  
viris nostro seculo doctissimis,  
qui σαράβαρα vel braccas esse con-  
jecerunt, vel tiliarum indumenta,  
uti videre est apud Iulium Nigro-  
num, qui hic vehementer est am-  
biguus, itemque Johannem Brau-  
nium, imo ipsum Samuelem Bo-  
chartum, qui סרבל σαράβάρων  
*saraballum exponimus, inquit, cum  
Aquila Theodotione & Hieronymo  
Dan. 3. 21. Proprie femoralia signi-  
ficat.*

Nigr. de  
caliga.  
pag. 12.  
Braun. de  
Vest. Sac.  
Hebr.  
pag. 454.  
Bochart.  
Phalegh.  
l. 1. c. 6.

ficat, ut Arabice *سارابيلو* *saravilo*,  
 & græcè *σαράβαρα*: cum tamen  
*σαράβαλα*, vel permutatis literis R.  
 & L. *σαρβαρα*, vox sit à *סרבל* de-  
 ducta, quæ à *סבל*, quod *tegere*  
 significat, vestimentum notat exte-  
 rius, quod corpus tegebat, qualis  
 stola matronarum. Braccas sane  
 hic intelligere esset invenustum.  
 Omnium enim instar nominare  
 braccas, ut testimonium sint vestes  
 à vi ignis mansisse illæfas, quis non  
 videt esse ineptum? Quare *Σαράβα-  
 ρα* puto esse vestem fluxam & ta-  
 larem qualis est stola matronarum.  
 Ita docet Isidorus. *Quibusdam au-*  
*tem nationibus, inquit, sua cuique*  
*propria vestis est, ut Parthis saraba-*  
*ra. Et statim post: Sarabarae sunt*  
*fluxa & sinuosa vestimenta de qui-*  
*bus legitur in Daniele: Et sarabarae*  
*eorum non sunt immutatae. & Pu-*  
*blius, Ut quid ergo in ventre tuo Par-*  
*thi sarabara suspenderunt. Clarius*  
*autem adhuc Tertullianus. Vice-*  
*rat, de Alexandro M. Loquitur,*  
*Medicam gentem, & victus est Me-*  
*dica veste. Triumphalem cataphra-*  
*tam amolitus, in captiva sarabara*  
*decessit, hoc est assumpsit captivæ*

Isid. Orig.  
 lib. 19.  
 cap. 13.

Tertul. de  
 Pal. cap. 4.